(14

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

GULIELMO MCLEAN, Auctore.

FIDENS animi me nec in secernendis nec morbis tractandis ingenium præstantius multis tam antiquis quàm novissimis scriptoribus, qui me præcesserunt, possidere, satis causæ haberem quarè de re medica omninò tacerem; sed quoniam omnes, qui inter alumnos hujus Almæ Academiæ nomina inscribi velimus, eodem cogimur, ex necessitate igitur et ejus legibus obedientia, non ex voluntate, aliquid scribere proposui de Dyspepsia, si non tam lethali, certè

A magis

[Edinburgh: A. Neill 1811.]



magis frequenti omnibus ferè aliis morbis, uti non solum oppidum omne vicusque, sed unaquæque forsan familia, unum alterumve ægrum testimonium præbeat; et sæpe viam sternenti morbis maxime ærumnosis, quos diu passos æger, tandem miseriis confectus, morti disiderabiliori commutat.

Sub titulo Dyspepsiæ CULLENUS perspicax aptè ordinat multa symptomata in aliorum nosologiis tot morbos efficientia, morbumque his verbis definit: "Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora saltem vel plura simul concurrentia horum, plerumque cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium morbo." His quoque adjungatur pyrosis, (ex auctoritate summi viri, Professoris GREGORY, cujus sententiam semper magni pendam, et ad quam in hac dissertatione memetipsum frequentissime recipiam;) aliquando etiam motus cordis citatus, pulsusque intermittens invenitur.

HISTORIA

HISTORIA MORBI RATIOQUE SYMPTOMATUM.

Hic morbus, aliis dissimilis, initium regulare et progressum certum dehinc non obtinet, historiam concinnam igitur non possumus dare; nam in eo varietas magna cernitur.

Statim ab initio cum signis valde gravibus non procedit, ita ut, donec aliquid progressus fecerit, rarò queri dignatur infirmus; sed in decursu morbi circum præcordia aliqua sentitur oppressio, cui breviter anxietas supervenit cum dolore quasi rodente ventriculi ipsius, cibi appetitus imminuitur, et, præter hoc, aliquando nullum aliud signum adesse videtur, aut, si adesset, in mitiori gradu saltem foret. Verumtamen cæteris vel eorum nonnullis præsentibus hoc deesse queat, et est, ubi vera absque appetentia pleno cibo fruitur æger.

Anorexia a prava cibi concoctione, retentionem ejus in ventriculo patiente, originem ducit.

Ventriculo

Ventriculo officio malè fungente, ob irritationem cibi illic diu remorati, nausea vomitusque oriuntur; nauseæ præeunti vomitus succedit; sed exempla non desunt ubi nauseam diù manentem vomitus non sequebatur; et vomitus aliquando accidit quamvis nausea nulla præcessit: vomitus aliquando biliosus est ex quo fit ut morbus vulgò, sed perperam, biliosus creditur esse.

Inflatio, ob distentionem ventriculi immodicam quam creat, signum valde molestum non rarò invenitur; a vento per fermentationem post cibum evoluto oritur. Hominibus, etiam integrâ valetudine fruentibus, fermentationis aliquantulum contingit; sed quò melior concoctio, eò minor fermentatio erit. Hoc morbo laborantes aliquando semetipsos decipiunt, quoad naturam distentionis, cum remora cibi in ventriculo reverà in causa est, ad flatum referentes. Ructus constat in ventum, ut supra evolutum, rejiciendo, et sæpe alimoniæ odore imbutum; aliquando non aër tantùm, verùm liquor aut etiam alimentum in os iterum recipitur; si diu in ventriculo hoc non mansit, subdulcè sapit, si diutiùs acidum,

acidum, et si tandem longiùs gustum acridum aut putridum impertit. Eructatione multi afficiuntur, et nihilominus valetudine et concoctione, aliter, bonis fruuntur. Ruminatio nihil aliud est quàm manducatio cibi in os, ut suprà dixi, per œsophagum recepti; consuetudo prava est et fastidio digna; in os receptus exspui debuit.

Cardialgia doloris sensum et caloris ventriculo impertit: a materia acida illic abundante, et in cardiam, œsophagum, aut fortassis in os etiam ascendente, nascitur; Ex aciditate, sensum quasi excoriationis faucibus communicat, dentes hebetat, aut amaritatem in ore excitat, ventriculum ipsum inflammatione aut erosione afficeret, nisi quod a muco tam bene tutatur.

Signo præcedenti affinis est gastrodynia, sed, quamvis non idem sensus ardens, dolor tamen multo severior huic est. Aliquando diu perdurat, et etiam exitum fatalem inducat; juvantia ostendunt a spasmo fibrarum ventriculi pendere, et, in exemplis nonnullis, ab rebus acidis, acridis aut putridis.

Alvi

Alvi astrictio aut ad symptomata aut causas referatur. Si symptomatica, ex cibo non plenè concocto, aut ex ventriculi torpedine vel relaxatione, pendebit. Sed interdum stimulus cibi inconcocti, diu retenti, et tunc fortassis acridi aut putridi, motum intestinorum aut ventriculi excitat, diarrhœaque, si non vomitus, sequitur, et sic alvus aut adstricta, aut soluta, altera alteri locum cedat.

Diu et graviter hoc morbo affectis necessariè nutrimenti defectus sentitur, unde totius corporis asthenia, partium solidarum laxitas et flacciditas producuntur. Chylificatione aptè non procedente materies aquosa potiùs quàm chylus, corporis dispendium refecturus, in circuitum invehitur. Hac ratione sanguis pro rata parte dilutior et tenuior fit, color oris pallidus et luridus. Corpus exsangue et leucophlegmaticum totum ferè ex pelle et ossibus constare videtur, macritudine vix larvæ hominis parcente.

Hæc dum aguntur systematis nervosi origo (cerebrum) non illæsa evadit. Solitâ et fortassis unicâ incitatione, ex sanguinis depravatione, partim orbata languescere apparet. Functiones

nes omnes impediuntur. Exsurgunt dolor capitis, tinnitus aurium, caligatio aut visûs depravatio, vertigo, eximia spiritûs depressio, præcipuè in constitutione atræ bili accommodata, syncope, asthma et palpitatio; sed quandoque postrema duo symptomata sine nervorum affectione existere possunt; nam si ventriculus distentionem plus justo patitur, sursum apicem cordis premit et sic abnormem ejus contractionem inducat; deinde ex consensu cor inter et diaphragma hoc quoque ad contractionem concitatur, et sic asthma producitur. Quid multis? Series symptomatum nervosorum longa semper adest.

TERMINATIONES MORBI.

Permulti ex dyspepsia præter animi dejectionem nullum aliud incommodum experiuntur, indicia valetudinis bonæ, et etiam appetitus, cum ore rubeo et nitido præ se ferentes; sed, ut in initio dixerim, ex hoc fonte morbi alii sæpe derivantur, nempe febris aliquando lethalis aut hectica,

hectica, hæc verò perrarò. Phthisin pulmonalem inducere potuisse nonnulli putaverunt; alii contra, ex debilitate tamen quam efficit, in habitu prædisposito ad phthisin excitandam sufficiat, et non infrequenter conjunctis utriusque morbi indiciis laborantem invenimus. Arthritidi quoque ortum dicitur dare. Sunt, quibus huic subditis ventriculi affectio paroxysmum semper minitatur, et magna ex parte in arthritidis accessibus malè se habet ventriculus, sed morbo alteri ad semetipsum perficiendum alterius auxilio non opus est.

Inter morbos dyspepsia creatos locum postremum non obtinet hydrops. Quarè hic accideret intellectu non erit difficile, si nobiscum perpendamus, omnia aut exhalationi auctæ aut absorptioni diminutæ conducentia ad hydropem conferre, et concoctionem pravam amborum causam inveniri; nam ex prædicto statu sanguinis aquoso arteriarum ramuli extremi, sive exhalantes, lymphæ majorem solitâ quantitatem excipiunt, eique transitum præbent. Accumulationem hoc pacto productam ad summovendum non valent absorbentia, reliqui corporis infirmitati

tati

tati quoque subeuntia; perdurat igitur, causis manentibus augetur, et tandem morbidus verè hydropicus redditur. Tympanites, ex auctâ flatûs quantitate in intestinis, nonnunquam scenam postremam vitæ claudere surgit. Ingesta fortassis acria vel putria, ex remora in ventriculo longâ, pylori scirrhum perficiunt, quo morbus nec tristior nec ærumnosior hominem perditum miserandumque absumit.

CAUSÆ REMOTÆ.

In *prædisponentes* et *excitantes* causæ morborum remotæ ab auctoribus plerumque dividuntur; sed in hoc, de quo dissero, hæ tam intimè inter se connectuntur ut divisio talis vix admittenda; nam Prædisponentes diu permansæ excitationem suppeditant; et contrà, ab Excitantibus sæpe repetitis prædispositio inducitur. Sed, vice hujus, divisio altera in medium sese profert: Scilicet, 1*mo*, in eas, quæ in ventriculum ipsum; 2*do*, quæ in universum corpus aut

ipsius partem, et inde demum in ventriculum præsertim; et *3tio*, in eas, quæ forsitan utrobiquè agunt.

1mo, Ad causas, quæ rectà in ventriculum agunt, sunt referenda sedativa et narcotica, opium, nempe, digitalis, thea, coffea, &c. insuper aromaticorum, amarorum aut aquæ tepidæ usus, diluentia tepida, vomitus frequens, arte, aut naturâ inductus; rejectio frequens salivæ ex medicaminum acrium usu, aut ejus defectus aut dispendium, causa ex quâcunque procedit; in concoctione cibi pernecessario officio perfungitur; igitur expui non debuit; helluatio, alimento sæpius justo aut quantitate immodicâ accepto, diæta putrida aut acescens, vegetabilia incocta, oleosa, caro pinguis, aut sale et fumo durata, condimenta et embammata, pisces concoctu difficiles, &c. A supradicto professore memoratur de homine, qui vomitu immutatam rejecit partem salmonis fumo durati, quam ventriculo retinuit duas vel tres hebdomadas.

2do, De his, quæ in ventriculum per alias corporis partes agunt, sunt vita otiosa aut sedentaria, ut sartoribus, sutoribus et textoribus accidit,

cidit, studiis quoque aut alicui negotio attentè incumbentibus, in his præterea adsunt plerumque quædam animi anxietas et vigiliæ; pathemata mentis, mœror, timor, anxietas, venus immodica, et quæ perspirationem minuunt.

3tio, Ad has, quæ utrobique agunt, referantur frigus internè, aut externè pedibus aut corpori, admotum; conjunctum humiditate, aut sine exercitatione, pejus erit: ebrietas, aut liquoris spirituosi aut fermentati frequens usus: nonnullos vidi ebrietate affectos ex odore alcoholis diluti diu continuato, quamvis non gustâssent: Nicotiana, sternutamentum ejus, aut fumum tubo extractum. Ad has causas relata ex affectu nervorum, quamvis ventriculum non attigissent, dyspepsiam inducere possint. Dyspepsiam porrò effectum aut comitem omnium propemodum morborum habemus. Febribus, vitiis hepatis, scirrho pylori aut intestinorum, hysteriæ, amenorrhœæ et multis aliis subservit; sed in his casibus morbum symptomaticum, non idiopathicum, habemus, itaque non in hoc loco versandum; nam definitioni prædictæ, "sine alio vel

vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium, morbo," non consentiret.

CAUSA PROXIMA.

A plerisque conceditur hanc in debilitate fibrarum ventriculi musculosarum inesse; sed plurimi non inficiantur succum gastricum ei quodammodo conferre: animum persuasum gero concoctionem in ventriculo non triturâ aut fermentatione, sed actione hujus succi cibum solventis perfici; nam experimentis comprobatum, alimentum in globis eburneis ita inclusum, ut attritu non potuit affici, quàm optimè concoctum; neque fermentatione potuit; nam malè concoquentibus benè cognitum, signa aucta fermentationis cum pravâ concoctione præcipuè consociari. Pro certo igitur habeamus, hanc succum imprimis conficere, et omnia ejus quantitatem aut qualitatem afficientia digestioni occursura: siccitas et sordes oris et linguæ, cum siti, in hoc morbo aliquando visæ, defectum solitæ secretionis salivæ ostendunt; et analogicè inferre possumus, secretionem

nem apud ventriculum simili modo affectam; et cùm proritationem salivæ in ore videmus, nonne suspicari liceat secretionem apud ventriculum eodem tempore auctam? An ex hoc pendet pyrosis? In qualitate quoque morbidè se habeat, nimis dilutus aut acer sit. Perpauci ex totius corporis debilitate causam proximam oriri arbitrabantur. Sed a nonnullis diu malè concoquitur, quamvis vires imminutæ mansissent. Si opinionem meam ausus sim proponere, dicerem, in vitio ventriculi ipsius causam proximam inveniri et succum gastricum vitiatum, et reliqua signa, exindè exoriri.

DIAGNOSIS.

Dyspepsia, ut dixi, multos alios morbos comitatur. Sed signa singulorum pathognomica singulos ad discriminandum ostendent. Solus morbus, quo confundi potest, Hypochondriasis esse videtur. Nonnulli equidem nihil aliud, præter ejusdem morbi gradus, esse opinantur. Sed dyspepsia sine hypochondriasi sæpenumerò invenitur,

invenitur, et hypochondriasis sine dyspepsia, sed his maniam eventuram pertimescamus. Hypochondriasis senibus, et temperamento melancholico præditis, potissimum gaudet, et malæ concoctionis indicia leviora exhibet; huic dediti timidi, et animo valde depressi, sunt; de rerum suarum eventu ex levissimis causis pessima suspicantur, et, si aliqua ægritudo insolita oriretur, metu mortis anguntur. Illa juniores et sanguinei temperamenti homines adoritur præcipuè, signa indigestionis graviora, sed animi affectus minores habet, at alterutrique morbo nil æquale est quo ad ætatem aut temperamentum. In dyspepsia ex scirrho pylori ortâ, vomitus, aliquando etiam subniger, brevi post cibum sequitur, dolor magnus, et nisi fæcibus liquidis alvus rarò descendit.

PROGNOSIS.

Quo ad vitam hæc ex maximâ parte est fausta, sed ad curam contrà, nam plerumque valdè difficilis sanatu est. Ad hoc si debilitas magna

vel

vel accessiones plures supervenirent, aut si aliis morbis, uti hydropi, &c. originem daret, tum quoque infausta.

SECTIO CADAVERUM.

Hæc pylorum aliquando scirrhosum, et semper ventriculum flatu distentum, ostendit.

MODUS MEDENDI.

Curæ indicatio est triplex. Prima ad remotionem et evitationem causarum supradictarum spectat: secunda in signa importuna levando constat: et tertia in confirmando ventriculum et reliquum corpus.

1*mo,* Quis nesciret eum, qui causis irremotis morbum sanare conatur, Sisyphium laborem suscipere? Ab his abstinentia ad morbum devincendum plùs, quàm medicamina, confert, et hac absque, nil valent remedia. Hos, qui ventre

tre hoc modo laborant, e lecto matutino impigrè exsurgere oportet, et vespertinum petere, in aëre puro (et sic rustico et bene oxygenato) versari, vestimentis calidis indui, et lanulâ proxima cuti, humiditatem aut subitas vices frigoris cum calore vitare, exercitationem modicam inire, animum negotiis aut amicis jucundis detinere, cibum facilem concoctu accipere et conficere benè in ore, a liquidis calidis et relaxantibus, theâ, coffeâ, &c, vegetabilibus incoctis et fructibus immaturis, a carne pingui, fumo duratâ aut nimis conditâ, a rebus oleosis aut piscibus, et, ne longum faciam, a gulâ, pene et vino immoderatis, liquoribus spirituosis aut fermentatis, et a rebus acescentibus, abstinere. Homini omnivoro diæta ex vegetabilibus et carne magis convenit, et quamvis adipatum, ut concoctu difficile, dyspepticis minùs accommodatur, tamen ejus pars macra faciliùs digeritur carne omninò macilentâ, aut animalibus ætate provectis adeptâ. Caro tosta concoctu facilior assâ, et hæc elixâ; cum carne, panis fermentatus et vegetabilia cocta, semper adhibenda. Pro potu aqua potissimùm utenda; sed si, ex prava consuetudine,

suetudine, aut alia causa, valetudinarii usum liquorum fortiorum non abdicarent, cerevisia (Anglicè *porter*) stomacho maximè conventura. Inter vina, allatum ex Madeira magis huic morbo accommodatur.

2do, Multa symptomata valetudinem, ex qua originem duxerunt, aggravant et protrahunt, et plurimis exemplis his irremotis morbus insanabilis manet. Hæc igitur benè perpendenda, et, si in potestate sit, amovenda.

Sensus ponderis et anxietatis in regione ventriculi, aut nausea, cibi indigesti accumulatione excitati, et alvi astrictio etiam, ex usu purgantium levamen sibi inveniunt. Hoc modo multùm proderit magnesia, dum tempore eodem aliud signum quoque grave sublevat, aciditatem nempè; sed, sine effectu adhibitæ, rheum palmatum conjungatur; et ad flatum expellendum zingiberis paululum; aut, cum magnesia inefficaci, aliquid massæ pilulæ aloëticæ, aut rhei compositæ, conjungere possumus: alvum aut natura, aut arte, usu purgantium aut enematum, demissam indies infirmum habere oportuit; at nobis tamen memo-

riâ retinendum est, purgationem nimiam semper injuriosam. In quibusdam casibus dyspepsiæ, succus gastricus boum magno usui dicitur esse. Nisus matutinus quotidiè, quamvis primò irritus, tandem diurnum habitum alvum deplendi inducet, et hic catharticis multò tutior erit.

Emeticorum frequens usus semper nocet, sed si venter catharticis non paruerit tunc ad illa confugimus. Dosis acris aut pulveris aut vini ipecacuanhæ statim danda; nam vomitus, citò peractus, multò minùs lædet nauseâ, vomitu aut etiam eructatione protractis. Anthemis nobilis ad plenum vomitum excitandum vix satis foret, et post se nauseam ingratam relinquit. Usum tartritis antimonii posterius incommodum vetat. at non ipecacuanhæ; aliquando verùm, ob torporem, tartriti antimonii solùm, aut ipecacuanhâ conjunctæ, ventriculus respondet; in frequentissimis tamen exemplis, emetica supervacanea.

Cardialgia cum aciditate semper connectitur, et antacidis, pro re natâ repetitis, præcipuè tractatur. Aquæ potatio libera, ad diluendum

dum quæ in ventriculo continentur, eam sæpe delinit; gummi Arabici quoque trochisci, extractum glycyrrhizæ purificatum, &c. in ore tardè soluta, irritationem minuendo, non inutilia erunt. Sales alcalini simplices, sed adhuc meliores acido carbonico saturati, commodè adhibeantur. In alvi astrictione summo cum fructu detur magnesia; sic etiam in diarrhœa; sed huic fortassis creta præparata magis accommodatur. Pulvis cretæ compositus, ob aromatica in eo contenta utilior factus, immistus aquâ cinnamomi, magno usui erit.

Gastrodynia, materiâ acridâ vel acido orta, a mucilaginibus, diluentibus, et antacidis multum commodum deducit, at ex spasmis pendens antispasmodicis tantùm sublevatur. Tinctura assæfœtidæ aut opii sufficiat; sed aliquando, ex conditione ventriculi, in eum recepta statim vomitu rejiciuntur; at quamvis non liquida tamen solida forsan retineret. Opium solidum igitur detur; haustus salinus effervescens, aut epispasticum regioni ventriculi admotum, in talibus affectibus multum utilitatis conferre dicitur: sed enema opiatum,

remediis

remediis aliis frustrà datis, efficax reperitur. Tam in cardialgia, quàm in gastrodynia et pyrosi, oxydum bismuthi remedium summæ utilitatis esse dicitur.

Flatus carminativis vel aromaticis levatur. Thea vel alcohol removere valeant; sed, quoniam debilitatem ventriculi, hujus affectionis causam, augent, semper nocent: cassia, aqua menthæ piperitidis aut cinnamomi, vel guttæ paucæ ammoniæ ex aqua, alcohole, etiam diluto, tutiores sunt. Æther ex volatilitate statim rejicitur, et ex stimulo flatum secum revehit. Sed usus ejus frequens effectum eundem, ut alcohol, producit, et brevi eadem cum aviditate quæritur.

3tio, Indicatio tertia spectat ad remedia et modos quibus corpus universum et ventriculus confirmentur. Multa, ad hanc indicationem referenda, in prima quoque invenientur, ut aër purus, exercitatio, diæta, potus, &c. Acida, ut sulphuricum dilutum, et acetosum, etiamsi aciditas antea abundaverat, ex stimulo fortassis quem impertiuntur, ventriculum adjuvant.

juvant. Ex aromaticis detur pulvis lauri cassiæ, pulvis zingiberis, tinctura cinnamomi composita, tinctura cardamomi composita, &c. sed in parvis dosibus. Ex amaris, anthemis nobilis in infusione aut decocto, infusum gentianæ compositum, tinctura colombæ, decoctum aut infusum quassiæ, &c. Nec aromatica, nec amara, solùm data, tantùm valebunt quantùm amborum conjunctio. Non obliviscendum est tamen, diuturnum eorum usum semper morbum ingravescere; ultra secundam, sed saltem quartam aut quintam septimanam, eorum usus protrahi non debuit, et tantùm post intervallum totidem hebdomadarum iterum resumi.

Cinchona officinalis, in forma decocti, infusi, extracti, aut pulveris, adhibeatur; tinctura non tam bene convenit. E ferro medicamina in restaurando vires ventriculi aliquando prosunt; hac intentione adhibeatur carbonas ferri præcipitatus, aut solus, aut cum cassia, colomba, &c. conjunctus. Sulphas ferri; hic in pilulas, cum extracto cinchonæ, myrrhâ et aromaticis, formetur. Tinctura

muriatis ferri ex aqua commodè detur. Æger aquas chalybeatas bibat, cum sociis jucundis vivat, exercitationem equitando, venando, piscando, &c. capiat, aut leviorem, si has capere non valeat: balneo tepido utatur, et ad frigidum gradatim descendat. Si in regione calida diversetur, temperiem petat, aut naviget. Ad curationem morbi, vitæ et diætæ regularitas plus conducit omni catalogo tonicorum aut aliorum medicaminum.

FINIS.